B. N. C.
FIRENZE
1106
5

1106 5

~~[illegible]~~

B Cab

6

10-I-5

Vincentii

B

1106.5

CI

NESCIMVS

QVID VESPER SERVS VEHAT

SATYRA MENIPPAEA

LIBERI VINCENTI

Hollandi.

BIBL. CAES. MED. PALAT.

ANNO

M.DC.XX.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

1106.5

Liberius Vincentius Hollandus
Franciſco de Ingenuis S.P.D.

TVas accepi litteras, & unà cum eis Epiſtolã, quam Romanus ille ſycophanta meo nomine vulgavit. Riſi primùm Hominis temeritatem & amentiam, qui neque re, neque verbo læsus, immò ne de facie quidem, aut de nomine mihi notus, auſus tamen fuerit, ineptiſsimas, ne quid gravius dicam, ſuas nugas mihi tribuere. Deinde verò cùm falſitates, mendacia, & maledicta legerim, quæ à me ſcripta confinxit in Rempublicam Venetam, tum demum continere non potui iracundiam meam, quin & Liberij nomen ab impuriſsimi Nebulonis ſycophantijs vendicarem: & aliquid etiam ei Αὐτῷ τῷ μέτρῳ ϗ λώϊον, id eſt, eâdem menſura & melius reponerem. Eum itaque ſatyrâ luſi iocoſè ſatis, ut videbis, ſed dentatâ chartâ, & quę ferè cuncta, in tuâ reſponſione adeo facundè, & eleganter expreſſa, per riſum, & iocum obijcere, videatur. Tu ijs omnibus eam oſtende, qui Epiſtolam illam Pſeudoliberij viderunt. Quod unum te etiam, atque etiam rogatum volo. Vale.

Amſtelodami IV. Idus Sept. Anno à CHRISTO nato M.DC.XIX.

NESCIMVS

NESCIMVS QVID VESPER SERVS VEHAT.

LAnguebat in umbrarum finibus heſterna dies, & occidens jam morituro ſoli tenebrarum ſepulchrum, ſeraleſq; ſtellarum faces parabat. In patriam ego revertebar, itinere feſſus, nec longè aberam, cùm repente cœlum nubibus obvolutũ, tonitruiſq; ingentib. minax, ignib. quidẽ rariter micare, ſed aquam largiſſimè effundere cœpit: Vt cœlites etiã eorum, quæ nihili conſtãt, plus æquo liberaliores facillimè noſceres. Injectâ igitur morâ, patrijq; laris deſiderio fruſtratus, pluviâ, cœnoq; ac tenebroſâ caligine oblitus, nec ubi eſſem, nec quo tenderem ſatis compertum habebam. Hoſpitium tamen Caſus obtulit, quo ſe à cæcitatis culpâ apud me optimè vendicaret, eo namq; gratius mihi, optatiuſq; ne ipſe quidem animo fingere poteram. Senex eſt Aretius, qui orbis vitia, eorumq; irritamenta fugiens in anguſtos lares parvumq; agrũ, quem proprijs manibus exoſſatum impensè colebat, quaſi in portum aliquem ſe receperat, ibiq; non modò literarum ſtudijs operam dare, ſed etiam ſub ingenti lauro literatorum manes ſacris carminibus in Hortum ſuum cogere dicebatur, ut librorum cenſuram, &

Conſilium ſummis hominum de rebus haberent.

Avebam ego jam multos annos virum videre, atque

adeo ſi licuiſſet, quæ de ſcriptorum umbris admiranda ferebantur, cognoſcere. Ad hunc ergo inſciens, ignarusq; locorum diverti, ſemelq; & iterum foribus pulſatis hoſpitium quæſivi; en mihi vox, quæ non oſtium modò, ſed animum blandiſsimè aperuit. Pauperem ait, quiſquis es, ſed facilem minimeq; moroſum hoſpitem habebis, noctilucam, his dictis, ad focum jam ſopitum applicat, inflat ut anima reviviſcat citoq; lumen & ignem ipſum accendit. Erat ſenex ipſe Oſtiarius idem, & Herus prolixâ barbâ, multâq; canitie venerabilis, quem eodem anno cum Neſtore natũ diceres. Is me fruſtra renitentẽ diuq; recuſantẽ madidis expoliat veſtibus centoneq; ſuo indutũ atq; brevibus focis recreatũ ad cœnã vocat. Vides, inquit, tripedem, ſed natam domi, noſtrâq; ex arbore menſam, atq; ſalis puriſſimi concam? Erit quidẽ horum communio novi inter nos hoſpitij, futuræq; amicitiæ non vulgare teſtimonium. Faceſſant artes injuſtæ, mutuaq; facinora, quibus hodie amicitia, quam vocant nomine, ſed reapſe ſcelus ingens, et impietas, inter homines coaleſcit. Lactucã *deinde in aceto leviter tinxit, oluſculisq;, quæ hortulo collegerat, rugoſum piper manu parcâ irroravit, lacrymoſumq; cæpe cum elogio poſtremum appoſuit. O tunicatum, inquit, Aegypti numen, quaſiq; cœlum aliud multis orbium involucris coagmentatum! Tu bellatorum vires in caſtris, dentiumq; pruriginẽ in menſis acuere ſoles: experire Hoſpes, ſi lubet, neq; Bacchum expecta, quem jampridem eliminatum exilio mulctavi. Fons mihi proximus ſitim levat, dumque bibo,*

Glut

Glut, Glut murmurat unda ſonans.

Aſſedimus igitur, & ſimplices atque ruſticas epulas divino ſapientiſſimi viri ſermone, tamquam acriori ſale, immò veriùs Ambroſia, nectareque conditas hilari fronte, animoque ſupra quàm dici poſſit, lubenti, & ſereno guſtabam, cùm ille, quo tendis, Hoſpes? Patriam, ego, Amſtelodamum; Patriam at, citò videbis, neque enim longè aberraſti. Quod non fuit hodie cras erit, ſic vita truditur: ego quoque ad patriam, ſed communem illam, et quæ nunquam niſi, clauſis æternùm oculis, viſitur. Iam annus me Vndecenteſimus admonet, auremque vellit, ut ſarcinulas colligam. Delitiarum itaque impedimenta jam pridem abjeci, tuque paupertatem noſtram vides, quæ ſemper tamen obtinuit primum divitiarum modum, quod neceſſe fuit, non defuit, ſic forſan orbe novo, cæloque recenti vixere homines illi,

Qui compoſiti luto nullos habuere parentes.

Lætus itaque, meique ſecurus proficiſcar è vita, propèdiemque dijs bene juvantibus elyſios campos videbo, teque novus ibi hoſpes poſt longos & felices annos lætus excipiam. Adripui ego ſtatim optatam occaſionem & familiares, inquam tibi elyſÿ manes, hoſpitijque jure devincti, ideoque lætus in procinctu verſaris. An credis, ait ille, ſubridens, aniles fabulas, & quæ blaterare ignavi homines, temereque in vulgus effutire ſolent? Pax mihi eſt cum mortuis, *neque ſi poſſem ſtygias umbras ab illarum ſede in hanc lucem invitas traherem; ſed crebra mihi, continuaque de ſacris illis*

manibus cogitationes fecerunt, ut non rarò per ſomnium cum illis congrederer, neq; id ſanè mirum. Nam quæ in viſâ uſurpamus, & cogitamus, quæq; agimus vigilantes, & agitamus, ea ſolent in ſomno nobis plurimùm accidere. Inde tamen voces natæ, quæ ſparſæ in vulgus ad aures etiam tuas ut audio pervenere. Sed lucernam vides, quæ jam humore defecta tenue, & extremum lumen ſpargens, ad ſomnū invitat, monetq; ut itineris laßitudinem quiete reficias; eamus igitur. Cubiculum ingredimur, in quo lectum haud male paratum oſtendit, meq; ſalvere juſſum reliquit, & abijt; clauſis vix oculis, admiranda atq; incredibilia neſcio per cogitationem, an per ſomnium videre cæpi; certè ſi ſomnium erat, hyemale diceres, quando ſunt longißimæ noctes, aut etiam, ut magnus ille Conopius, trinoctiale, non tamen è Portâ eburneâ advolarat, ſed

Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris.

Quo ſomniando pervenerim, quæq; viderim, & audiverim ſtatutum eſt memoriæ mandare, neque enim debuerat tam horribile ſecretum ſilentio perire. Ego vero plenus rimarum ſum, quicquid per oculos, & aures admittitur, per linguam ſtatim, & per calamum effluit. Quis neſcit Amyclas poſt tam egregia facinora, mori potius, quàm loqui volentes, fluentem cæteros, facilemq; ſermonem tam obſtinato ſilentio docuiſſe? Humanum eſt verba facere, non dare: nunc verò è re quoq; publicâ ſcriptorum augere numerum, qui ſine controverſiâ facundi tam feraci proventu hoc ſæculo advenere, ut nihil frequentius uſurpatúmque

patúmque magis invenias, quàm magno conatu magnas nugas agere. Quid rides, aut ringis? Stultam clementiam duco peritura parcere carta, ſatiuſq; auſpicatò liber his temporibus editur, qui citò proſtet capsâ porrectus apertâ, manúque teratur ab ijs, qui vendunt ſcombros, &

——Thus, & odores,

Et piper, & quicquid cartis amicitur ineptis.

Hoc ſine ſcribere lubuit, quodq; vis, aut Ius nō prohibet facere ſemper licuit homini libero, ſemperq; licebit; ego verò hujuſmodi memet eſſe certò ſcio. Quis me unquam capit? aut ſub jugum miſit?

Et præbere caput dominâ venale ſub haſtâ

docuit? quis me circumegit, & nomen commutare juſſit? en adhuc LIBERIVS *vocor, juréque naturæ, non Quiritum liber; mei juris adſum, mentemq;, manuſq; quas manicis, pediciſq; irretitas nunquā geſſi, liberè tracto. Quis me, ut abeam in alia omnia coacturus eſt? Scio ego jam coactores è noſtro Belgio abijſſe, immò verius obijſſe. Nihil ad cujusvis gratiam, aut metum hodie dicturus ſum. Adeſte quotquot libertati favetis ex animo; Valeant, qui aliter ſentiunt.*

Odi profanum vulgus, & arceo.

Non ego illos moror; vos tantum audite, atq;

Credite me vobis folium narrare Sibyllæ.

Altiùs dormire cœperam, cùm Aretius iterum, ſed anguſtiore vultu, Heus tu, inquit, ſi elyſios campos videre

geſtis, te mihi da comitem, inſtat hora, jamq; in altiſono cœli clypeo temo ſuperat ſtellas ſublimis, noctiſq; meridies adeſt, quem Poeta neſcio quis ſic amatoriè, nec forſan ineleganter deſcripſit,

En medium cœli ſpatium jam cornibus almis
Cynthia contractus mox productura peregit,
Innumerabilium tacitis comitata catervis
Stellarum, latè diffuſis undiq; circum,
Pars ſolidos radios, trepidos pars altera fundunt,
Pars fuſco rutilant, claro pars altera cœlo,
Alta quibus longè divorum tecta renident,
Cuncta ſilent, grato ſomni conſperſa veterno,
Non auræ ſpirant, folium nec palpitat ullum,
Nec reſonant avibus ſylvæ, ni forte nefandos
Teſtetur Philomela dolos, ſed flumina ſummis
Prona ſtrepunt clivis, vicini & littoris unda
Curva gemit, faciles ſuadenti murmure ſomnos;
Interea timidos inſomnis inire ſuſurros
Gaudet amans, mutis confundere, et oſcula linguis,
Tum manibus teretes mammas, avidoq; pererrãs
Ore, leves condit memores ſub pectore morſus.
Hæc cæcis credens umbris, lunæq; ſilenti.

His dictis præit. Sequor ego, illicoque inferorum oſtium tenemus, nec quiſquam ullo unquam tempore, tam citò, ſineq; viatico tantum itineris confecit, ut ne Mulciber quidem in Lemnum aut Pheton in Padum adeo feſtinanter properaſſe viderentur: locum verò ſic ille priſci nitoris, & elea

ris, & elegantia ARBITER *poeticè, graphiceq́ deſcripſit:*

Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu
Parthenopem inter, magnæq; Diſarchidos arva
Cocyta perfuſus aqua. Nam ſpiritus extra
Qui furit effuſus funeſto ſpargitur æſtu.
Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite lætus ager: non verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur,
Sed chaos, & nigro ſqualentia pumice ſaxa
Gaudent ferali circum tumulata cupreſſu.

Ingredimur antrum, ſed ſine offâ ullâ, et abſq́ aureâ virgâ, facilis deſcenſus erat, proclivisq́, & prona via, quâq́ vel clauſis oculis facilè cuncti meare poßint; Lux tamen *defecerat, et gravis ubiq́ umbra, ſulphureâ caligine mixta oriebatur; gemitus audiebantur, ſed nihil in ſolo tàm vaſto præter innumerabilia Epicuri corpuſcula, Platonicas aliquot Ideas, atq́ Medicea quædam novitia ſydera, occurrebat. Magna tantum mirabar Herculis veſtigia in cæcâ illâ nocte ſtellarum inſtar micantia affixasq́ ingenti ſaxo Theſei nates, quæ non minùs inferni Iovis iram, quàm clavigeri nepotis virtutem oſtentabant, dum critico, cætera magno, Virgilianâ magniloquentiâ incaßùm clamare videbantur:*

Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Cuncta ipſe luſtrabam oculis, non hercle, ut morbos, curas, & bellum cæteraq́ ejusdem ordinis in veſtibulo vide-

rem; ſciebam etenim hæc omnia in terris modò vivere, et vigere, immò tyrannicè planè regnare. Sed ut Ferum illum immanemq́ Trifaucem cernere poſſem, cujus ingenti latratu umbræ ſtygiæ abſterreri dicuntur; cumq́ impetrare à memet ipſo non poſſem, ut cupiditati imperarem Aretium ſubmiſſâ voce interrogavi; Qui, ignoras, inquit, Cerberũ conduci, ut aconita vomat, quibus Sycophantarum libri illiniri poßint? Neapoli modò tribus offis operam locavit, ab Hiſpano, & Romano neſcio quibus conductus. Is quæſtus nunc eſt multò uberrimus. *Non ne, inquam ego, Cerberus Deus eſt? An Dei quoq́ pretio, & donis emuntur? Quid ni, ait ille, Vrbem ſcis olim fuiſſe magnam præſentibusq́ numinibus adeo refertam, ut hominem difficiliùs in eâ, quàm Divum invenire potuiſſes, in qua oraculum fuit illud ex Tripode:*

Placatur donis Iupiter ipſe datis.

Quid enim? Si Rogo & Aquilâ, cæterisq́ ſolemnibus quilibet Nero nullo negotio, ſed multis ſumptibus in Divos referebatur, ambigeres tu an divinitate pretio parata pretium quæreretur? Hæc ego auribus excipiebam invitis, videbam enim quo tenderent, reſponſumq́ peracre paraveram, cùm ad lævam ille flexit iter, cymbamq́ cum decrepito quodam, ſed infulato Nauclero haud longè monſtravit, quem ego Charontem ratus, ut propiùs inſpicerem, curſu penè concitato, eò tendere cæperam, ſed inhibuit curſum, diverticulumq́ oſtendens obſcuriſsimum, invium, ſaxis, cænoq́ refertũ, hàc inquit, nobis eundum. Quem vides edentulum ſenem maximæ in terris, clariſsimæq́ na-

vis clavum tenuit, cumq́ omnem moveret lapidem, ut nummos congereret, prӕterea nihil; hic etiam apud inferos Charonti Vicariam operā prӕbet, exigitq́ ab Vmbris portoria. Iam Prata multo virore perfuſa ingrediebamur, in quibus ego mirabar & proceritatem arborum, et directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, & puram, et innumeras florum areolas, ex quibus ӕterni ſpirant odores, cùm domus occurrit nobis

——Sublimibus alta columnis
Clara micante auro flammasq́ imitante Pyropo,
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
Argenti bifores radiabant limine valvæ,
Materiam ſuperabat opus.

Ad eam cùm pervenimus, magnos viros, & doctos quot quot unquā ab hominum memoriā fuere miro inter ſe ordine diſcretos, ſedentesq́ inſpicimus. Media ſedes erat ornata, eminensq́, in qua ſevero, minaciq́ vultu Rhadamantus ſedebat, graves illos, & irarum plenos oculos circumquaq́ volvens. Stabant hinc inde holoſerico induti Conſules duo: aſtabant namq́ validi lictores XXIV. cum faſcibus, atq́ ſecuribus; Magna res, inquit Aretius, agitur, cùm Rhadamantus adeſt, nūquamq́ memini frequētiores Patres conveniſſe. Intuere tu, qui nunquam aliàs vidiſti, Iuriſconſultos ad lævam manum, inter quos Baldus Conſul, hinc Philoſophos, ad dexterā verò ſedentes illos, qui humaniores, ut vocant literas, profitētur, è quorū numero conſul alter Sigonius. Medicos verò cùm non oſtenderet, neq́ ego viderē, quӕſivi cupidus ubinā locorū eſſent, tūc ille non inter literatos manes, ſed cū Theologis inter eos recipi dixit, qui ſummis inferna loca beneficijs afficere ſolēt

licet enim inſcientes, ignariq; inumerabiles tamē mortaſ in Avernum præcoci morte quotidie jaciunt. Nos autē, inquit, hic in ſubſellijs hiſce imis locum occupabimus. Non ego, inquam, Non hercle; Quid enim mihi ſemipagano in literarijs caſtris? Inſtabat ille. Ego iterum, ne vim facias quæſo; ſine, ſine, diſcedam potius: Cùm qui proximus erat vir gravi ſupercilio, nimiq; ut videbatur, iracundus, ſede, inquit, & ſile. Non hic inania vendit Hiſpania verba; *ſedi ego pallens, circumq; intuens Sigonium, qui ſe erexerat, oratorumq; in modum manus compoſuerat, perſpexi.*

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

Cùm ille librorum, inquit, hâc nocte cenſuram agimus, qui recens in lucem editi tenebras omnibus ingenuis artibus offuderunt. En vobis ingentem librorum Acervum; Nihil tamen habetis præter nugas plumis, & Pappis volantibus leviores. Quid igitur ad vos affero? Sicut in amplâ domo, & divite, non modò Aurum, Argentum, veſtes, & tapetes, quæ ubique exponere aut etiam ſeponere oporteat, inſpici debent, ſed etiam Araneorū, ut inquit ille, textura improba, atq; adeo quiſquilia, quæ ſint tollendæ atque everrendæ, ne quid ſit in lauto, ſplendidoq; apparatu, quod oculos offendat; Ita in re literariâ non ſolùm doctos, eruditoſq; libros habere oportet, quaſiq; theſauros cuſtodire, aut oſtentare, ſed etiam quas videtis librorum quiſquilias, ſordes, & purgamenta ſcriptorum in ſtygias flammas proijcere: lætus ego mihi plùs nimio placebam, qui

digitorum

digitorum pruriginem ſemper continueram, ſicutq; aliorum ſcripta perquàm avidè legeram: Ita nihil unquam literis conſignaram. I lictor, inquit Baldus, quem vis ex iјs librum huc affer; dictum, factum, exiguo volumine ſed minori, ut videbatur, pondere librum extraxit, & tradidit. Legerat vix Conſul Titulum, cùm ſe ipſo ſeverior EPISTOLA, & inquit, o Sigoni, LIBERII VINCENTII HOLLANDI. Eam ne Sigonius ait, ſive monſtrum veriùs, quod heſternâ die pro munere noſtro examinavimus? Non hercle poterat quicquam nequius incidere. Neapoli venit: Ite lictores, ibiq; ſcriptorem prahendite, et hic ſiſtite. Abiere ſubitò. Ego verò cùm VINCENTII LIBERII HOLLANDI; meum ſcilicet nomen, cognomenq́; & patriam audivi, continuò obſtupui, meumq; cor cœpit artem facere ludicram, et in pectus emicare, cumq; calor omnis, & ſanguis eò ſe reciperet frigus membra occupabat, piliq; ex contractione cutis erecti horrorem faciebant; mecum tamen ipſe cogitans, reputansq́; nihil unquam vulgaſſe certo certiùs ſciebam, & hac ipsâ praclarâ conſcientiâ ſecurus patres intuebar, cùm Baldus, Agitur hic inquit libertas Maris Adriatici, & ad Franciſcum de Ingenuis Germanum ſcripta videntur litera adverſus Rempublicam Venetam. Tum ego mihi ipſi, Quid, inquam, hoc eſt? Pro Venetâ Republicâ ſtamus, ſumusq; nos Hollandi. Ego verò ad Ingenuum ſcripſi certè, ſed Ingenuo tantùm, non vulgo: eaq; ſcripſi, qua Veneta Reipublica auctoritatem atq; Adriatici ſinus imperiū fir-

mare, nō convellere poſſent. Iamq; Lictores expectabam, qui Neapoli redirēt. Non enim ea modò Civitas ab inferorum pœnis longè abeſt, ſtatutumq; habebam memet ſtatim obijcere, ut purgarem à calumnia. Cæteri verò Patres Liberij adventum attentiùs expectare videbantur, quàm olim ſervi in Phenicia ſolem aut equi hinnitum Optimates in Perſia, cùm à fugitivarijs retractum adeſſe clamatum eſt: oculos intendo meamq; ipſam formam, non ſine ingenti admiratione, inter lictores, virgasq;, & ſecures ante Rhadamanti tribunal invitam, & repugnantem pertrahi ſum intuitus. Reſiſtebat illa contumax, & refractaria ſubiratusq; ſatelles:

Si hodie, inquit, fuſtem cepero, aut ſtimulum in manu
Teſtudineum iſtum tibi grandibo gradum.

Cum meo quoq; vocis ſono habituq; reſpondentem audivi. Neſcis tu quàm meticuloſa res ſit ire ad Iudicem, quamq; timor gradus, & verba præpediat. Itaq; præ nimio ſtupore non mihi conſtabam quærebamq; admirabundus quânam ego ratione memet ipſe amiſiſſem quíve factum, ut alter modò Liberius cum nomine formam & vocem abſtuliſſet mihi, dicebámque Næ ego homo ſum infelix, qui aut geminavi probè; *aut,*

Quod nemo unquam homo ante hac
Vidit, nec poteſt fieri tempore uno
Homo idem duobus locis, ut ſimul ſit

Id mihi evenit, nimiúsq; ſpeculum habere geſtiebam, ut me intuerer, formámque viderem meam an eadem eſſet: ſed

Arctius

Aretius laborem hunc minuit; interogavit enim, An Liberium illum mihi cognominē pernoviſſem? Cui, cùm ego qui ſit, neq; ſcio, neq; novi, neq; oculis vidi ante hunc diem: *ſubdit aurem ſcalpens, & amarum ſubridens, aut ſycophanta eſt, aut geminus frater tuus.*

Namq; ego hominem homini ſimiliorem nunquam vidi,
Neq; aqua aquæ, nec lac eſt lacti unquam ſimilius
Quàm hic tui eſt, tuq; hujus

Maximus eſt hac æſtate ſycophantarum proventus, qui verſipelles ſe faciunt quando lubet. Hæc nos: ſed Conſules emunctæ naris homines ſycophantam ſubodorati, Menippum neſcio quem ad ſe vocarunt, cui Draconem aurem lambiſſe diceres, adeo cuncta noſcere, atq; intelligere videbatur. Huic citò mandant ut Liberium illum diligenter intueatur, atq; pertractet, perſonamq;, ſi ſit opus, detrahat, & cunctis ſpectandum proponat. Acceſſit ille ſubſannator egregius, et Hiſpanico faſtu inter eundē videbatur

Inſultare ſolo, & greſſus numerare ſuperbos.

Torvumq; intuens, heus tu, inquit, ede nomen: Vincentius, ait, Liberius. Tum Menippus illicò, Quo Patre? Ille verò, ne deliberare quidem ut videretur cunctatus; ſed aulico aſtu, & imperterritâ fronte QVOLIBET reſpondit. Ingenti plauſu, riſuq;, & ſibilo excepta fuit tam acuta neque minùs fortaſſe vera, quàm faceta reſponſio; cùm Menippus haud ineptè QVEMLIBET hunc VLYSSEI NEMINIS fratrem appellaret. Non

potuiſti,inquit, Vappa,adeo cohibere te,ac latere ſub alienâ perſonâ,quin te ſtatim proderes, atq; veluti ſorex inditio tuo perires? Noveram ego te jampridem, Mottinumq; ſciebã, tentavi tamen, an veritas aliqua ratione invito excideret, ſed cùm tuæ tibi fraudis conſcius veluti ſepia, effuſo atramento evadere, fucumq; nobis facere volueris, Agè verò videamus an ego te, Liberi falſe, faciã, ut verus hodie reperiare Mottinus; lictores interim, ut eſt ſatellitis ingenium, vel nutui obtemperantes, veſtes Belgico more concinnatas detraxerunt, tum illi

Vera redit facies, diſſimulata perit.

Reſpicio ego, & quaſi Circeum bibiſſet poculum, faciem commutaſſe video. Monſtrum erat ſubnigrum, immò ſubviride, quod diligentiùs intuenti quaſi homo videri poterat, ſed macilentis maliis, perexigua barba, puſilla ſtatura, triſti fronte & maligna, ſed quæ longè arceſſito riſu, neſcio quid ſatis blandum, interq; ridendum, & ringendum medium ſemper offerret. Pileatus adhuc erat, cùm „ Menippus aperi, inquit, caput, frontemq; illam exanguem, „ ac ferream perpetuis ſtigmatibus inſcriptam, oſtende: „ frontem, inquam, attolle cùm omnis nequitiæ, tum ſingu- „ laris ac præcipuæ impudentiæ ſedem, quo liceat eam cun- „ ctis inſpicere, & palam ſpectare, integumentis atq; invo- „ lucris omnino rejectis, ſuperciliis verò iſtis tantopere ad- „ ductis quanta inſidet ſuperbia? Quanta arrogantia? „ Emunctiſſimæ nares proximæ ſunt, ipſeq; adeo naſus a- „ duncus, quo mortales omnes ſuſpendis; ſed qui Lynceo quoperſpi-

perſpicacior haberi cupis, es tamen Hypſeâ cacior, atque oculis captus, quibus, ut nullus planè eſt pudor, ita nullus ſenſus. Os impuriſſimum deinde inſpectandum prabe, inquinatiſſimū, et contaminatū ijs flagitijs omnibus, qua nulla vel turpiſſima aures ſuſtinere poſſent. Dentes caninos probè diducito, tam immani patefacto hiatu, ut quantopere mordeăt omnib. pateſcat. Exere, ac profer totam, quanta, quanta eſt, linguam eâ lubricitate, & proclivitate ad maledicendum, ut probris, et convicijs onerando, cumulandoq; indiſcriminatim omnes una ipſa ſufficiat, nullâq; ratione ad procerū menſas, niſi maledictis, quaſi praſenti teſſerâ, admitti ſoleas, ſed caput ipſum accuratè totum perluſtremus, cujus partes omnes ubique ita ſunt compacta, ut ſi quid eſt rationis, & mentis uſpiam id quám facillimè effluat, nihilq; prater inſignem vecordiam omnino relinquat. A ſummo tandem vertice uſq; ad imos talos quicquid patet in longū, latumq; porrectum ex fraude, nequitiâ, et libidine totum eſt coagmentatum; Vt facilè dubites an ipſe totus ex nequitiâ, an ex ipſo tota nequitia ſit conflata. Hac nos, dum ille diceret, contemplabamur: Patres verò qui è regione ſedebant, averſumq; Mottinum inſpectabant neſcio quid attentius animadvertere, atq; inter ſe conferre videbantur, cùm ille repentè nobis etiam quod miraremur obtulit, oſtreatum nempe tergum atq; adeò varia latera, & cicatricoſa,

Vt ne periſtromata quidē æque picta ſint Campanica,

Neq; Alexandrina belluata conchiliata tapetia.

Tum Menippus manus,inquit,oſtende nobis? Quid expalluiſti, & furtivos illos oculos huc,illuc jacis? quærebam,ait, Proregem in quo mihi ſpes omnis erat, dum offa monuit, ut tantas ſtruerem mendaciorum moles, cumq; omnes riderent,ſeriò cognovit ne Iovem quidem extra cælum ſuum regnare. Iam lictores manus extraxerant,& Menippus en vobis, inquit, monſtrum cum ſenis manibus genere Geryonacæo, Vngulæ verò probè uncinatæ, Hiſpanica unguenta ad nauſeam uſq; furtum ſcilicet,& rapinas,olebant. Quæ cum lictor vidiſſet homo minimé formidoloſus quique aliàs auguria, auſpiciaque cuncta parvi fecerat, ſibi talis, tantíque monſtri tactione metuens turbatum ſputo pulverem, luſtraliq; mixtum ſalivâ medio digito ſuſtulit,& frontem,ut ſeſe ritè expiaret,impari numero ſignavit. Sed

» *Menippus non ſatis,inquit,fuit huic ſemi-Romano Hi-*
» *ſpanóve, aut veriùs ex utriſq; mixto Leoni perſonam,*
» *pellemq; detraxiſſe, niſi illum etiam, ut Aſinum maxi-*
» *mè decet,more ſuo rudentem audiamus.*

» Dic,quâ Teſiphone, quibus exagitare colubris.

» *Dum ſapientiſſimæ,planeq; divinæ,& immortali Reipublicæ impuro iſto tuo,atq; improbo ore maledicis,age.*

» Quod quæro enoda,& qui ſis explica.

Tum ille multa quidem blateravit quæq; dum recitarentur

*rentur ſæpius Priſciano, & Orbilio caput frangerent,
riſumq; ſimul, et ſtomachum cunctis moverent quorum
aliquot meo, licet multo nequiore ſermone, ut ipſe dixe-
rat referre libet. Nunquam profectò exiſtimavi futu-
rum inferi mánes, ut apud vos cauſam dicerẽ, irritum-
que laborem ſuſceperat quiſquis ille fuit, qui mihi per-
ſuadere conatus eſt, neſcio quam hominis partem etiam
poſt mortem remanere, vitamq; ſine cibo, & potu ſempi-
ternam vivere: etenim ſicuti ego non aliud cœlũ, quàm
quod Græci eleganter οὐρανίσκον, noſtri palatum appellant
eâdem ferme ratione non orbis quidem, ſed hominis qui
tamen μικρόκοσμος dicitur inferna, quâcunq; ratione, &
linguâ, & animo colui. Quo factum eſt, ut ſacerdotali
veſte, magnaq; Referendarij dignitate quâ initiatus
fueram, repudiatâ uxorem potiùs ducere voluerim, quæ
dotem daret, quæq; dum declinatus in thoro mòlicello, in
violâ, & rosâ ſterterem ventulum faceret, neque le-
ctum in pugnâ invenuſtè moveret. Modò verò, cùm
vos videam, timeámque ſeriùs ne Deus aliquis Olym-
po inhabitet vellem, hercle, potiùs mecum ipſe cogitare
vitæque meæ rationes ſubducere, quàm ex tempore in
tali, tantóque ſenatu verba facere: ſed, cùm delibera-
re mihi non ſit integrũ; debeamq;, velim, nolim, Menip-
po iſti, cujus apud me ſemp venerabile ſemperq; ſanctũ
nomẽ, et artes fuerũt, obtemperare. Reſpondebo, et quæ-
cunq; petijt quàm breviſſimè potero paucis abſolvam.*

,, *Duo ſunt quæ ſcire cupis, Menippe; Cur ego contra*
,, *Rempublicam Venetam tam immodeſtè ſcripſerim, &*
,, *quiſnam ego ſim; Agam, ut ſemper ſoleo, tecum etiam*
,, *præpoſterè; Primùq; dicam, eum eſſe me, quem probè no-*
,, *ſti, Laurentium Mottinum Romanum Civem, cujus*
,, *majores omnes bonæ fidei Pultiphagonides fuere, atque*
,, *ex illis antiquioris notæ patritijs, qui ut Romulus olim*
,, *pro Ambroſiâ*
,, Gaudentia frigore Rapa
,, *Ferventia vorârunt, quiq; non ſolum, ut magnus ille*
,, *rectas aratri vomere foſſas ſulcare voluerunt, ſed eti-*
,, *am, ut non arvus tantum ager, ſed paſcuus quoq; eorum*
,, *induſtriæ multùm deberet, fæniſecos caprimulgóſque*
,, *egregios ſeſe præbuerunt. Ego verò è Tribu ruſticâ,*
,, *quam ſemper haud immeritò urbanis præpoſuit Roma-*
,, *na Reſpublica, patre, avo, cæteriſq; majoribus ruſticis*
,, *ortus, ijſdem ſemper, uti pium filium decet, veſtigijs in-*
,, *ſiſtere, nec ullâ ratione à gentilitiâ mente degenerare*
,, *volui. Non tamen legulus, ut cæteri gentis meæ proce-*
,, *res, ſed ſyllabâ tantum auctior legulejus, neq; rei pecua-*
,, *riæ, ſed ipſi pecuniæ, quæ tamen à pecude mutuata no-*
,, *men fuerat, operam dedi. Oraculum enim ex tripode*
,, *ſemper exiſtimavi vetus illud*
,, Quid vis nummis præſentibûs opta:
,, Et veniet; clauſûm poſſidet arca Iovem.
,, *Hinc factum eſt, ut patriam parvi facere immò veri-*
,, *ùs odiſſe cæperim, uti ſemper quaſi cochleã in occulto la-*
tentem

tentem meo mihi ſucco vivere triſtiq; Domicanio laborare neceſſum erat. Ego verò, Inferi manes, ita me amet ſancta ſaturitas, itaq; me ſuo ſemper condecoret cognomine, *familiarem domeſticumq; cibum odio ſemper habui.*

Nec unquam me juvat quod edo domi
Foris aliquantillum etiam, quod guſto, id
beat.

Cùm itaque Româ abirem nihil mihi præter rem, & veritatem defuit; fames autem, mendacia, doliq; etiam ſuperfuere. Neapolim petij, ubi, quod paucis evenit, peſtibus illis, quibus honoris, & exiſtimationis ſpecioſa nomina vulgus indidit, ſuas ſibi res habere juſſis, ſine fronte, et ſine corde felicem nimis, beatamq; vitam lautiſſimè vixi. Quæ nam etenim cænatica ſpes mihi defuit, aut quæ decollavit, dum olivarenſis Ducis culinam, caminumq; auguraculum meum feci? O quoties quoties ante decempedē umbrā triclinium ingreſſus, eleganter inſtructas, atq; oneratas epulis menſas inveni, corporaq; pennipotentum per pectus, per clunes ab eruditâ manu in fruſta excuſſas haud perfunctoriè voravi? Sed quid ego, Inferi manes, iſta commemoro? Magnis hercle, atque innumerabilibus beneficijs ab olivarenſi Duce affectus fui, qui ventris mei gurgitem, atque ingluviem toties implevit, ſed cum manibus etiam, manibus hiſce meis avaris, abſit invidia verbo, & inquinatiſſimis ſubjecti Populi regimen permiſit, quid ſibi

,, ad virtutes meas exornandas reliqûm fecit? Ego ve-
,, rò ut tanti beneficij memor aliquâ ratione videri poſ-
,, ſem, cùm AVDITOR, ut ajunt, FOIAE renunciatus
,, eſſem pecuniolas omnes quotquot attigi abſq; ulla cru-
,, menæ diminutione purâ ſimplicitate meas feci, licétque
,, Ioannis Mariæ Spinolæ, Marcoq; Antonio Auriæ nobiliſ-
,, ſimus Viris multis, magniſq; nominib. devinctus eſſem,
,, atq; adeo amicitiæ obtentu in abdita eorum Conſilia pe-
,, netraſſem, memor tamen neminem cuiq; ſemetipſo cha-
,, riorem eſſe debere, aureorum illis nummûm pauſillu-
,, lum tria nempe circiter millia, per fraudē ingenioſám-
,, que proditionem abſtuli. Hâc inſtructus pecuniâ uxo-
,, rem duxi & quæcunq; rapui, Priapo, & Ventri, dijs
,, magnis lateq; potentibus conſecravi. Verùm enimve-
,, rò cùm hæc ad aures Olivarenſis Ducis perveniſſent,
,, agereturq; Montoiæ exiſtimatio cujus ego nomine ra-
,, pinas, & furta mea contegere ſolitus fueram, deturba-
,, tus repentè è ſolio atq; in præceps datus corrui; Tertio
,, namq; Idus Iulij anno à Chriſto nato M. DXCVIII.
,, quæ ſemper infelix mihi, ſemperq; nefaſta Dies erit ipsis
,, hiſce verbis, quæ nunquam à memoria excidere, ſen-
,, tentia contra me lata fuit QVOD DICTVS LAV-
,, RENTIVS MOTTINVS, VT SVPRA, INQVI
,, SITVS RElegetur in Inſulā per años tres continuos.
,, Et De Cætero non exerceat officia, &c; ex eâ namq; die
,, licet dicam ſæpius, & uſq; ad ravim clamem
,,

Iūs

Ius anceps novi, cauſas defendere poſſum,

Neminem adhuc invenio, qui me vel fruſto panis conducat, ut quamvis Dionyſij illius magni, cujus ego regnandi rationem in magiſtratu meo ſemper fui ſecutus, ſatis memor, ludum aperuerim, grandiq; prætextato pædagogum me haud omnino malum præbuerim, nihil tamen adhuc præter quamdam Hiſpanicam declarationem obtinere potui, quaſiq; claudus ſutor domi ſedeo. Hæc, inferi manes, hæc Menippe de Natalibus vitæq; meæ ratione ſatis, ſuperq; dicta ſint: In ijs verò narrandis ſi pudoris, ſi modeſtiæ limites prætergreſſus fortaſſe videor, me vobis omnibus hac unâ ratione vehementer excuſatum volo, quod cùm omnia in gente noſtrâ laus occupaverit, nihilq; maledicto, & obtrectatione, nihil vel ipſi invidiæ loci relictum ſit, plenam idcirco laudibus noſtris orationem vel invitus habere conatus ſum. Quod autem in Rempublicam Venetam jurgia, mēdacia, falſitatesq; conjecerim, fatebor ingenuè me nec amore cujusquam, nec odio adductum, neq; ut Poetæ ſolent, per riſum, & jocum mentitum eſſe, ſed cùm ego ſemper plus palato, quàm corde, aut ingenio ſapere voluerim, in hac etiam re non alium artis magiſtrum ingenijq; largitorem, quàm ventrem cognovi. Is creavit has ærumnas mihi, non enim quod tantæ Reipublicæ, quæ ſola Italiæ libertatem, & dignitatem ſuſtinet, vellem ire detractum, ſed ne dentes dentirent,

» *ne perpetuò eſurirem aliquid neceſſario dicendum fuit.*
» *Pauciſſimi ſemper inventi ſunt, qui mali gratis eſſe*
» *voluerint, neque inter hos ego nomen profiteor meum.*
» Ipſi qui Cynicâ traducunt tempora cænâ,
» Non nunquam nummis vendere verba ſolent
» *Quid ego facerem, prandijs elegantiſſimis præſentíque*
» *pecuniâ perſæpè conductus? Quæ cumq; Oſſunenſem Du-*
» *cem velle mihi perſuaſi, non alia ratione quàm ut ede-*
» *rem, edidi. Nihil tamen ex meo penu, ſed Valenzuolæ*
» *cuidam Hyſpano, ut ſæpe in convivijs, ita in ſcriptione*
» *me, veluti umbram, adjunxi. Nomen verò meum non*
» *præpoſui, ſed alienum quaſi larvam adhibui VIN-*
» *CENTII LIBERII. Igitur nulli ſum culpæ affinis,*
» *cùm nihil meum in hâc Epiſtolâ dici poſſit; Valenzuo-*
» *læ ſunt verba, Liberij titulus. Si quam verò, quod nòn*
» *video, neque credo culpam commerui, illud cogitate,*
» *Inferi manes, Aulicos eſſe nos, neque ſi quid perversè*
» *agimus illud nobis imputandum, qui veluti ſigilla-*
» *ria, vel neurospaſta quædam non motu noſtro, ſed ver-*
» *ticillis, ac nervis ad arbitrium alienum movemur.*
» *Quod ſi neque ſatis vobis facit, protendo ad genua ve-*
» *ſtra ſupinas manus, petoq; & oro, ut quid vobis in me*
» *pro ſtygiâ veſtrâ, infernaliq; benignitate ſtatuendum*
» *ſit, etiam atque etiam conſiderare velitis. Hæc ille inter*
gemitus, lacrymasq; fundebat, tacètibus adhuc cunctis,
& ad neutram partem aſſentationem flectentibus plu-

raq;

raq; dicturus videbatur, cùm Menippus o virum, inquit, paucorum hominum quiq; ſermonem habet non publici ſaporis. ne putes Mottine, tam verboſam adeóque ingenuam, & veram orationem perdidiſſe; Inveniſti patronum: Artemonis ego clypeum ſupra te ſuſtinebo. Pavorem itaq; expectora, nec ſupplex in genua decidas: ſurge, nimia precantis humilitas in contemptum tranſit; ſurge, & bene ſpera. Non faciam, ait ille, non faciam; in malis namq; ſperare bonum, niſi innocens, nemo debet. Mane igitur, inquit, Menippus,

Mane tuo arbitratu, vel adeo uſq; dum peris.

Ego tamen, ut aliqua ratione animum erga te meum oculis omnium ſubijciam, hominiq; tam bene de me merito, quiq; meum nomen, & artes tanti facere publicè teſtatus eſt deeſſe non videar, defendam quicquid ſcripſiſti, neq; permittam hac nocte à quolibet deſiderari officium erga te meum; faciamq; ita ſupercilium ſalit, ut non ſine pompâ triumphoq; diſcedas; Agite P. C. poſtquam Mottinum ipſum, non ſolùm oculis hiſce noſtris, ſed etiam oratione ſuâ nudum, ſatis, ſuperq; inſpeximus, ſi quis Epiſtolam ab eo vulgatam culpare audet, dicat, Menippumq; pro Mottino reſponſurum ſciat. Tum ille cor Aſtreæ, legumq; jecor Baldus conſulari quidem dignitate, ſed immortalis clariſſimi nominis gloriâ multò magis eminens, atque conſpicuus ſurrexit, iratosq; oculos, & graves bis, terq; circumtulit, atq; adeo

his verbis, ni mea me ſomniantem fefellit memoria, cauſam dicere, tacentibus cunctis exorſus eſt.

,, Tria ſunt, quæ veluti à juriſconſultis accepta Motti-
,, nus in hac Epiſtolâ introduxit. Primum res communes
,, conſuetudine quæri, non præſcriptione. Secundum Do-
,, ctores tenere quidem acquiſitum fuiſſe à Venetis Mare,
,, ſed de juriſdictione tantùm loqui, non de impediendo
,, commercio. Tertium legibus ſancitum eſſe quouſq; per-
,, tingat eorum mare, ad ſummum ſcilicet centum ſtadia.
,, Hæc breviter, & eodem ordine confutabo; nam per or-
,, dinem intellectæ res magis delectant animos, men-
,, tes magis nutriunt, ſenſus magis illuminant, & me-
,, moriam reddunt clariorem. Venio ad primum. Om-
,, nia quæ acquiruntur, aut ſunt nullius, aut communia
,, multis, aut alterius; quæ ſunt nullius acquiruntur oc-
,, cupatione, quæ ſunt communia conſuetudine, quæ ſunt
,, alterius præſcriptione. Unde ſequitur quod propriè Re-
,, ſpublica Veneta Mare Adriaticum ab Imperatore de-
,, relictum, & factum nullius occupatione, ut primæva
,, mundi imperia acquiſiverit: attamen per exceptionem
,, in hoc ſuo maris Dominio nominibus etiam conſuetudi-
,, nis, & præſcriptionis aptiſſimè uti poteſt. Hinc oritur
,, quod nos Doctores hæc nomina ſæpè uſui pavimus, &
. Injur. fin. ff. de Injur. ,, poſuimus. Sic Bartolus Præceptor meus honorabilis lon-
no. ,, gam conſuetudinem appellavit: ſic ego eum ſequutus,
1 ſ. C. de ,, tantam conſuetudinem dixi, ut non exiſtat memo-
eadam l. ,, ria in contrarium. Sic tu Salicete, ſic vos omnes P. C.

ſexcen-

ſexcentis in locis conſuetudinem *appellaſtis*; *falſum eſt tamen quod ait Mottinus Ingenuum reprehendens Doctores claſſicos ſemper conſuetudinem dixiſſe. Angelus enim Aretinus quærens* an mare, & flumina publica præſcribantur tanto tempore cujus initij memoria non exiſtat, *dicit* quod ſic; *& concludit* Venetos præſcripſiſſe Gulfum maris, *id eſt, præſcriptionis exceptione uti poſſe. Sic tu, Iaſon Iuris prudentiæ lumen clariſſimum, dixiſti* quod Veneti licitè præſcripſerunt Gulfum maris tempore cujus initij memoria non eſt in contrarium. *Sic tu, Angele patriæ noſtræ, & hujus literati ſenatus eximium ornamentum, concludis*; Præſcripſerunt ergo Veneti, & Ianuenſes Gulfos ſuos, *&* ſic Gulfi illi ſui ſunt. *Sic tu Cipolla doctiſſime ſcriptum reliquiſti quod* mare præſcribi poteſt tanto tempore cujus initij memoria non exiſtat, *ex quo inferis* quod D.D. Veneti qui Gulfum maris Adriatici per tantum tempus cujus non exſtat memoria poſſederūt ipſum Mare quoad ejus poſſeſſionem, juriſdictionem, & dominium præſcripſerunt. *Sic ego etiam diſertè ſcripſi*, quod loca publica, & Mare ipſum præſcribitur tanto tempore cujus initij memoria non exiſtat, unde etiam ſecundùm mentem clariſsimorum ferè omnium Iuriſconſultorum inferre volui quod D. D. Veneti præſcripſerunt Gulfum maris, *id eſt, præſcriptionis exceptione uti poſſunt. Sic vos Doctores clariſſimi, & toto terra-*

Flum. ſuſt. de rerum diviſ.

l. quo minus de flum. n. 40. ac ſeq.

tract. de ſerv. &c. cap. de Mari n. 7. et 10.

tract. de præſ. n. 5. et 6.

" *rum orbe celeberrimi loquuti eſtis. Diſce igitur, Mottine*
" *mi, diſce tandem rectè Ingenuum ſcripſiſſe, & non ſine*
" *magnis auctoribus* hac in re validum eſſe, & potens
" argumentum à præſcriptione temporis, *ſcilicet per*
" *exceptionem. Quod etiam ſapientiſſimus ille Pacius, cu-*
" *jus ope, atque virtute vera, & ſolida Iuris prudentia*
" *revivißit, cujus ore nos omnes loquimur, & ſpiramus*
" *Anonymum neſcio-quem tui planè ſimilem docuit. Ne*
" *igitur temere audeas in poſterum argutari, & quod nos*
" *ſcripſimus vel tuis, vel Valenzuolæ tui verbis gloſſa-*
" *re, ut ſcripta noſtra invita, & obtorto collo in ſententi-*
" *am veſtram trahatis. Quod autem ſubdis primarios*
" *Doctores ſtatuere quod Veneti acquiſierint Iurisdictio-*
" *nem in eorum mari, ſed de Iurisdictione eos loqui, non de*
" *impediendo cõmertio, id eſt, de Gabellis exigendis, & ho-*
" *ſtibus, vel Piratis arcendis: eſt adeo falſum, ut nemo*
" *unquam poſt homines natos putidiora mendacia ſcri-*
" *pſerit: hoc eſt ſecundum quod mihi tractandum propo-*
" *ſui P. C. in quo liceat mihi fidem veſtram, & memori-*
" *am excitare quid nam ſcriptum reliqueritis, nemo enim*
" *melius ſcire poteſt, quàm vos ipſi. O Mottine, Mottine,*
" *tu cum incipis mendacia dicere, & impudenter agere,*
" *nunquam deſinis, & perſonam ſemel ſuſceptam ad fi-*
" *nem uſque egregiè ſuſtines. Nonne Angelus concivis*
L. 5 me de. inſu. & conſ. 159. " *meus ſcriptum reliquit:* Et ideo quia Veneti per tan-
" tum tempus, cuius initij memoria non extat, pro ut
" eſt notorium navigare ipſi ſoli ſunt ſoliti per il-
"

lum

lum gulfum, & cæteri omnes ſolvunt dictis D. D. Venetis Datia, & Gabellas, iam apparet quod proprietatem ipſius gulfi acquiſiverunt, & poſſunt imponere, & augere Gabellas, & Datia in mari, & alijs Ius navigandi interdicere per eorum Gulfum? *Nonne Iaſon ſcripſit:* [l. ex hoc jur. De juſt. et jur. no. 17.] Item Gulfum maris Venetorum eſt in eorum Dominio, & poſſunt de jure interdicere Ianuenſibus, & alijs ne poſſint in Gulfo navigare? *Nonne, tu Bertachine, ſcripſiſti quod* Veneti poſſunt pro mercib. maritimis Gabellas imponere, et quod debet ſolvi pedagium in mari ſicut in Terra, ſi eſt impoſitum per Dominium Maris.. Venetos verò ex conſuetudine eſſe Dominos Maris Adriatici? *Nonne tu Cipolla in dicto tractatu concluſiſti* quod poſſunt Veneti in Gulfo imponere Gabellas, confiſcare bona & merces navigantium? *Ego verò quid hac de re ſenſerim pluribus in locis teſtatum reliqui, nam in tractatu de præſcriptionibus dixi,* quod Veneti alijs navigare volentibus poſſunt interdicere; quod ab eis licentia petēda eſt; *alibi etiam, licet de Venetis expreſſam mentionē non fecerim, dixi tamē clarè.* quod per longam conſuetudinem acquiritur Dominium maris, & vis imponendi pedagia & Gabellas. *Innumeri ſunt, Mottine, ex hoc literato ſenatu, qui talia ſcripſerunt ut improbis anſam auferrent veritatem depravandi; Tu verò Oſſunenſis Ducis vile mancipium, qui pro Italo, atq; ſi Dijs placet, Romano patritio*

» *te venditas, non modò falſam doctrinam diſſeminare,*
» *ſed etiam mendacia ſpargere , ut libertatem Italiæ op-*
» *pugnares, voluiſti. Et audes etiam doctiſſimis Docto-*
» *ribus ampliſſimisq; ſenatus noſtri Patribus auctorita-*
» *tem, & fidem minuere, atq; te ipſum, aut Valenzuolam*
» *opponere, qui heri, aut nudius tertius, è dupondio Iuris-*
» *conſulti prodijſtis? Sed quoniam in hac ipsa tuâ Epiſto-*
» *lâ Hiſpanum illum laudas, & ejus ſcripta, volo tibi di-*
» *cere quod ſi quis de induſtriâ removeret omnem orna-*
» *tum, & omnia pigmenta orationis, & gratijs omnibus*
» *nuntium remitteret, ut eſſet planè diſſimilis ſcriptorum*
» *omnium, qui rectè ſcripſerunt, vix aſſequi Valenzuolæ*
» *ineptiſſimam ſcriptionem poſſet. Sed eum mittamus, cu-*
» *jus libros citiùs quàm ipſe vellet, unà cum auctore his in*
» *locis ad cenſuram vocabimus. Venio ad tertium quod*
» *ſolvendum propoſui Dum ſcribis legibus ſancitum eſſe,*
» *quouſq; pertingat Venetorum mare nempe ad centum*
» *ſtadia. Tuam fidem Mottine, quænam lex id ſtatuit?*
» *Quisnam Legislator Venetorum Imperij fines circum-*
» *ſcripſit? & audes etiam, Nebulo impuriſſime, Charyb-*
» *dem ſtellam crinitam, mercatores emungendi libidinem*
» *cæteraq; convicia in tantam Rempublicam dicere? Ter*
» *ritorium, ajs, eſt centum ſtadiorum, quod etiam abſo-*
» *lutè prolatum falſiſſimum eſt; Quis enim Civitatibus*
» *ſingulis æquale Territorium conſtituit? Maritimis ve-*
» *rò Civitatibus, ut ait Ariſtoteles, mare pro Territorio*
» *eſt, Venetijs, etiam pro Muro. Sed quid ego Territori-*
um dico,

um dico, aut Civitatem? Reſpublica Veneta, Regno- rum Domina, potens, maxima, Italiæ libertatis propu- gnatrix maritimam ſuam ditionem, atque imperium, de quo nunc agimus, ultra centum ſtadia extendere non poteſt? Quæque occupatione acquiſivit, & etiam præ- ſcriptione, vel ſi mavis, Mottine, conſuetudine tam diuturna tueri poteſt, nunc in dubium vocabitur? Tu ne is es, bone vir, qui Oſſunenſi Duci has faces ſubmi- niſtraſti, quibus Italiam univerſam incendio conſume- ret? Tu Mottine, tu; cæteriq́ tui ſimiles Paraſitaſtri illi auctores fuiſtis, ut pace, quæ vigebat, violatâ, in Gul- ſo Piraticam exerceret, & amicæ Reipublicæ onerarias triremes duas per dolum, & fraudem mercibus onuſtas caperet. Deinde verò fugâ ſibi conſuleret, itaque conſu- leret, ut à Venetâ Claſſe ſæpè provocatus nunquam in pugnam deſcenderet, ſed naves ſuas, & Triremes vel in Brunduſinum Portum contineret, vel celeri fugâ Veneto Imperatori, legitimo Adriatici Domino, ejus im- perium, & juriſdictionem concederet. In te igitur, & cæteros pares tuos mendaciorum pœnam cadere debet, non modò, quod ea ſcripſeris, ſed etiam quod tantorum malorũ cauſa fueris; Ut facinoris perpetrati debitam ſentias punitionem, & grave ſtatuatur exemplum in poſterum omnibus ijs, qui talia committere audebunt: ““““““““““““““““““““““““

Iacebat tali, tantâq́ non minus verâ, quàm ſeverâ oratione perculſus Mottinus, jamq́ pallere, et animo linqui cæperat, cùm ridens Menippus hæc ait omnia tam facile ſolvam,

petulanter invadere, mendaciaq;, & maledicta tam lutulento ſermone fundere auſi ſunt, ut graviores pœnas, et cruciatus optimo jure ſibi vendicẽt, provocentq; ſeriò auctoritatem veſtram, ad tantam licentiam effrenatamq; maledicendi libidinẽ coercendam. Ego verò, qui Venetum nomen contemni, & irrideri non poteram non iniquo animo ferre, jam apud me conſtitueram, P. C. cùm primùm licuiſſet, hac de re ad vos referre. Sed ea nunc ſe offert occaſio, ut in hoc Mottino quid in alijs ſentiatis gravi, ſeveroq; juditio facillimè cunctis oſtendere poßitis. Quis enim Venetam Rempublicam, furem, *ut ejus verbis utar,* alienaq; ſurripuiſſe? *Quis eamdem* portoria nullo jure exhauſta revomere debere? Nimiâ imperandi, & mercatores emungendi libidine flagrare? *Quis* Mare in aula magni Conſilij recludendum *eſſe præter teterrimam, & flagitioſißimam iſtam belluam ſcripſiſſet? Sed non ſatis habuit eam jurgijs atq; maledictis laceſcere, niſi etiam ejus maritimum Imperium vi quantâ maximâ poſſet infirmare atq; convellere tentaſſet. Quid tamen affert? Ait* Galliæ Reges Flaminiam, & Picenum Romano olim Pontifici donaſſe; *Ait* Apuliam ſtrenuos olim Reges & bellatores habuiſſe. *Quod ſicuti modo non pugno, ita illud ſtatuo, quod ſapienter collega meus ſapientißimis viris auctoribus confirmavit Venetam Rempublicam multos & ferè innumeros jam annos Adriatici ſinus imperium tenuiſſe, præterea ne-*

" *minem; quod verò ſcripſiſti, Mottine, Apuliæ Reges*
" *Adriaticum tutatos eſſe, claſſemq; in eo habuiſſe tuum*
" *eſſe mendacium. Sicuti acerbitatis etiam tuæ quaſi vi-*
" *rus evomuiſti cum Siculo Regi Venetos æquare ridicu-*
" *lum ſcripſeris: Ita ne verò, Mottine? Veneta Reſpub-*
" *lica* belli, paciſq; artibus inter omnes clariſsima,
" *quæ cum ſummis Regibus, & Cæſaribus non ſemel ju-*
" *ſtis viribus decertavit atq; victrix diſceßit; Quæ Chri*
" *ſtianorum Principum ferè omnium vires, & impetum*
" *ſuſtinuit, & fregit; alteriuſq; Ducis vel cunctatione*
" *vel nimio bellandi ſtudio victoriam, non libertatem a-*
" *miſit; Quæ his ipſis temporibus in Hiſtriâ, Forojulij, &*
" *Inſubria maximis exercitibus, in Adriatico ſinu maxi-*
" *mâ Claſſe, alibi quoq; ingenti pecuniâ tantorum Princi-*
" *pum vires eludit ut ſuam met, infeliciſq; Italiæ liberta-*
" *tem tueatur; ea ſcilicet, Mottine, Apuliæ Regulis non*
" *parem facies, ſed Comiti Zenghæ,* cum quo, *inquis,*
" viribus certet *O immoderatam obtrectandi libidinẽ,*
" *quæ naturâ excitata, & conſuetudine confirmata mon-*
" *ſtrum hoc, ut in Venetam Rempublicam, quam omni-*
" *um juſtißimam eſſe ſentiebat, effrenatè ferretur, indu-*
" *xit? Veneti igitur, Veneti* qui ſoli in Terris hodie na-
" nativam liberta tẽ perpetuo, ac minimè interrupto
" tenore mille amplius annos egregiè ſuſtinent, *qui*
" terra mariq; maximũ, pulcherrimumq; imperiũ ob
" tinent, *Comitibus Zenghæ æquiparandi? Dij Deæq; o-*
" *mnes te perdant, tenebrio, cum hâc tuâ ineptiſsima com*
paratione.

paratione. Quod verò Adriatici ſinus Præfectum à Venetâ Republicâ creari, claſſemq; adſuperi maris tutelam perpetuo teneri, nihil ad rem eſſe affirmas; Rex enim, *inquis,* Hiſpaniarum ſummum Imperatorem in Mediterraneum deligit; *Ego quid Rex ille juris ſibi arroget, quidue agat non quæro. Illud ſcio Venetam Rempublicam hoſtes, atq; Piratas arcere, Portoria exigere, Adriaticum ſinum tueri, quæ cuncta reapſe fieri nemo inficias iverit, et jure fieri jurisperitorum conſenſus ſatis ſuperq; declarat. Quid verò, inepte, blateras de anniverſaria deſponſatione, quam vocant, maris Adriatici, quæ cum Cæſaris ipſius, & Romani Pontificis, & Regũ ferè omnium legatis præſentibus in triumphi ſpeciem fiat quantum ad has controverſias afferat momenti nemo non videt. Tibi tamẽ riſum movet, ridiculum caput, ut ſcilicet quibus nullâ ratione reſpondere poſſis, compreſſis ſaltem labijs, & inſano riſu, ut ſcurram parem tuũ maximè decet, reſpondeas. Laudo Commentum. Lugdunenſis Concilij ſententiã quam fruſtrà abs te quæſitam dicis, Cardinalis Florentinus facilè te docebit, modò conſilium ejus 209. conſulere velis. Quod autem Veneta Reſpublica Cæſaribus, Romanis Pontificibus ſummíſque Regibus & alijs innumeris non ſemel facultatem fecerit vel negaverit, quâ ſuperum mare ſive Adriaticum ſinum ingrederentur clarius eſt, magíſque teſtatum, quàm ullius operâ indigeat. Docuit Ingenuus; Docent Venetorum acta*

» *neque tu mendacijs tuis adeo claræ veritati fucum fa-*
» *cere, tenebraſq; offundere potes, immò quæcumq; affers*
» *ſatis, ſuperque unico verbo refelluntur, mentiris. Sed*
» *tuo tam præclaro operi coronam imponis, ſomniaſq; Ve-*
» *netam Rempublicam has facultates arbitratu tuo in*
» *poſterum fingere velle. Quam eſſe hanc dicam, tam*
» *acrem, tamq; effrenatam maledicendi, & alienæ famæ*
» *lacerandæ libidinem, ut ſomnijs quóque eam oppugna-*
» *tum eas? Et ſi quid ego hæc ſomnia appello, quæ ne ſom-*
» *niorum quidem umbræ ſunt? Qui dormiunt putant ſe*
» *videre aliquid, & vanæ illæ rerum imagines, quæ a-*
» *nimos ludificantur, relinquunt plerumque impreſſam*
» *in memoria ſpeciem ſui, tu verò tibi ſomnia etiam fin-*
» *gis, & quæ non vidiſti, neque ſcripta, neque picta, neque*
» *ficta ijs Venetos urges, & ad obſcurandum vetuſtiſſi-*
» *mi imperij ſplendorem iniquiſſimè abuteris. O acumen!*
» *O novam, & nunquam antea excogitatam atque ani-*
» *madverſam immani rabie ſæviendi libidinem! Ar-*
» *quatis, ut inquit Varro, lutea videntur omnia, nimi-*
» *rum quæ vident; tibi verò illa etiam, quæ non vides,*
» *tuo viru, et felle aſperſa videntur. Quid te commeri-*
» *tum eſſe dicam hoc furore, & morbo animi plane cani-*
» *no? ſed volo cohibere me, ne præjudicatione damnatus*
» *videri poſſis.*

» Hæc ubi dicta dedit pauſam facit ore loquendi.

» *Menippus verò caput digito ſcabere, & oculos circum-*
» *ferre, faciliq;, & hilari vultu non convenit, inquit,*
» *P.C. apud vos longa oratio,* Nec

Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

Pauca dicam, ſed numero, non pondere; quæque literas Liberij nomine vulgatas à calumnijs vindicent, atque adeo Mottini exiſtimationem ſartam tectam conſervent. Mottinum germanum Quirini Nepotem haud difficulter fatebitur quiſquis juxta me ſciet, nec patrem huic certum fuiſſe, & Lupam matrem. Quid verò Orſaunenſis, ſive ut modò vocant, Oſſunenſis Ducis mancipium eum appellatis? Omnes pari ratione naſcimur; & nunquam pejus nobis agitur quàm cùm incipit contra nos ſtare. Parentum nobilitas claramq́ facem præferre pudendis. Quid genus quærimus? nonne videtis ſemi-Hiſpanos, ſemíque Mauros, ſed totos, ut modo vocant, marranos homines pluribus conductis nominibus, agnominibus, cognominibus, prænominibus, gentis, generiſq́ fucatam, fictamq́ nobilitatem paſſim, & ubiq́ jactare? Quod Barbaris iſtis concedimus Italo ruſtico negabimus? At impietatem præ ſe fert

et inanem credit Olympum.

Non nego; ſed Romanus eſt, Hiſpano ſeruit: Quis igitur ab eo Dei cujuslibet cultum exigere poteſt? Nec tamen Divinitatem quamlibet irridet, ſed ſanctiſſimis illis Deis, & adeo conjunctis ut alter ab altero ſemper pendere ſoleat, Ventri, ac Priapo, ſemet ipſum perpetuò devovit. Agite igitur ijs tantum, quæ Epiſtolæ obijciuntur, reſpondeamus. Gloriſiſſimā, ajunt, Rempublicam Venetam, non modò in ordinem redigere, & Comiti Zeng-

,, *hæ parem facere, ſed furti palàm inſimulare auſus eſt.*
,, *Turpe facinus fateor, P. C. et quod ultricibus furiarum*
,, *flammis mulctandum haud negem; attamen quid mi-*
,, *naris, Sigoni? Habet Mottinus,*
,, Habet familiare tergum, ne quærat foris.
,, *Veniant Eumenydes, accedant, feriant, percutiant, la-*
,, *cerent; cognoſcent in Romano patritio Spartanam no-*
,, *bilitatẽ, faciliusq; virgis atq; verberibus ignem, quàm*
,, *vocem, ex hoc homine expriment. Sed quid ego verba,*
,, *aut verbera timeo? An neſcitis verè nobilem Motti-*
num, ſed è tribu ruſticâ? Quid ergo mirum, ſi ruſtica-
tim tangit, urbanatim neſciens? Vnus ergo quia male-
dicit malè audiet? O infelicem, natumq; iratis Dijs,
genioq; ſiniſtro! *Si quod omnibus uſu venit, quod cun-*
ctis bene vertit, immò verò rem, & laudem affert, ei
tantum hâc nocte, tamquam culpa obijcitur? Scribi-
mus Docti indoctiq; paſſim maledicta, neq; regale faſti-
gium à dentatis jocis, & jurgijs eſt immune; Legimus,
audimusq; contra juſtiſſimum, & ſapientiſſimum ma-
SCIOPPI. *gnæ Britaniæ Regem ineptiſſimorum hominum, Para-*
ſiti demum flagitioſiſſimi, & perditiſſimi, veriusq; te-
terrimi monſtri, quàm hominis, innumera maledicta:
Vivunt illi tamen, Vivunt, & licet à furijs agitati,
æternumq; à nobis damnati paraſitantur adhuc, ac pa-
ginas infami ſcriptione deturpant; ſolus Mottinus ex-
agitabitur, quod ſuis met cognominibus, ſuisq; virtuti-
bus Venetam Rempublicam cohoneſtaverit? Furem

illam

illam vocavit, & furem ipſe profitetur, judicúmque ſententia eum ſe declaratum oſtendit. Quodq; vos maledictum ingens, laudem ille ſummam exiſtimat. At mendacia dixit. Quis abnuit? ſolens ſuo more fecit. Quid veritatem? Quid ſcientiam ab eo deſideratis, quaſi

Auctores noverit omnes "
Tamquam ungues, digitosq; ſuos? "

Ea quidem ut video, ab illo exigite, quæ non magis ſapere poteſt, quam benè olere, qui in culinâ habitant. Nullus vidit: nullus legit, Valenzuola " " " "

facilem ſtillavit in Aurem "
Exiguum de naturæ patriæq; veneno. "

Hic verò Hyſpanicum illud cum ſtygio cerberi noſtri aconito miſcuit & atramenti loco, ut Epiſtolam ſcriberet, uſus eſt. neq; id ego eò dico, ut hominem excuſare, falſis ve laudibus honeſtare velim, immò ſerio profiteor, clamoq; " " " " " "

Cor non laudo hominis, nam perfidum, & exitiale, " "
Non laudo os, namq; vaniloquum, & fatuum. "

Sed illud dico cuncta imprudentem inſcientemq; feciſſe; nihilq; eum unquam aliud didiciſſe, quàm nihil ſapere, male dicere, & perverſè agere. Quæ ſi nondum perfectè conſequutus videtur, magiſtri culpa eſt, qui diſcipulum ſemidoctũ à ſe dimiſit: Si verò didicit, quid hoc illi, tanquam culpa obijcitur? eſt Mottinus, eſt quaſi " " " " " " " "

,, *mare quoddam, Oceanusq́ malorum omnium, ut flumi-*
,, *na, fontes, mariaq́ cūcta aquis ſuis implere facilè poſſit,*
,, *nec ipſe deficiat. Adhuc loquebatur Menippus cùm Mottinus ipſe in cujus capite hæc faba cudebatur, non meritum ſe ejuſmodi patronum ait, nolleq́ talem defenſionem, quæ potiùs accuſatio videretur, adhiberi: Sed Rhadamanti ſpectatiſſimi Iudicis ſenatorumq́ qui jus haberent ſuffragij benignitati capitis cauſam, ſeq́ met ipſum committere. Audierat quæcumq́ dixerant, obſtinato ſilentio truciq́ vultu, Bipedum ille ſeveriſſimus Rhadamantus ſemper minax & rigidus, quaſiq́ Craſſus alter ἀγέλαστος: tunc verò Conſules qui proximi erant intuitus, ſententias ait per ſatyram exquirite. Cognovi ego etiā apud inferos minores obtemperare majoribus. Nam Conſules illico patres interrogarunt, qui, damnatâ Epiſtolâ, non unâ quidem ſententiâ, ſed pari conſenſu, Mottinum etiam damnabant. Corneliam legem de falſis in medium afferebant Iuriſconſulti, ut noxio ſanguine Venetorum injuriæ parentaret. Alij dicebant haud æquum eſſe nobilem illum vereq́ Romanum ſanguinem profundi; ſed cùm ipſe patritiū ſe Romanum feciſſet, neq́ Mottina gens ſatis clara haberetur, æquum videri, ut à carnifice in Torquatam, vel à corvis in Corvinam adſcriberetur. Nonnulli, cùm ille ſemper vel ſcelera, vel res nihili egiſſet, nunc etiā æquum cenſebant ut rem nihili, animam ſcilicet, ageret; ſed cùm omnia præpoſterè ut faſſus erat, agere ſolitus eſſet poſtremum*

ſtremum etiam hoc opus præpoſterè exigendum, ut ex inferno ore, quo ſcilicet, ut Claudius olim clariùs loqui ſoleret, animam emitteret. Erant qui eum quaſi incudem à tribus validis hominibus cædi vellent. Pedariiq; patres in varias ſententias diſceſſum parabant, cùm Menippus, vita huic, inquit, Heroi, me Iudice, relinquatur. Quis enim periiſſe cognoſcat, quem nunquam vixiſſe homines ſciunt? Pœnas luat, ſed ſuperſit ſibi, & abeat ubi lapis lapidem terit, apud fuſtitudinas ferricrepinas Inſulas:

Vbi vivos homines mortui incurſant Boves.

Tum quidã non admodũ ſenex ſenator, quiq; ima ſubſellia apud nos occupabat, Italus ut videbatur, dicam, ait, ego ſententiam, quæ omnium conſenſu probabitur, etiamſi Stajenus, vel Gutta ſederent ad judicium. Cùm Mottinus Venetam Rempublicam traducere voluerit, traducatur ipſe; recensq; debitum recenti pœnæ genere plectatur. Sedeat coronatus, ſed Averſus, bellua ſuper belluam, in Aſello thiarâ redimitus, caudamq; habenarum loco pertractet. Præcedant præcones, qui viri laudes ut moris eſt, decantent. Concurrant undiq; populi, & quæ tanto triumpho digna videbuntur jaciant, eâ tamen lege, ut poſtquam pompa deſierit, Aſino, vel Caballo, qui Mottinum triumphantem deducet, debeat virtutis atq; grati animi ergo Mottinus ipſe in Piſtrinum ſuccedere, ibiq; deinceps, prout Menippus voluit, in mo-

ſequentia, præcedentia, circumfuſa ut rationem ſubducere nullo modo poſſem, ſic

——Denſi undiq; circum

ſtabant, & ſtudio ingenti, & clamore ſecundo ſolemnes pompas celebrabant, quorum alij indicem in Ciconeam incurvabant, alij pollice temporibus appoſito, manus, quaſi Aſelli auriculas, movebant; linguam non nulli, quaſi ſitientes canes, proijciebant; Non deerant, qui pollicem inter indicem, & medium poſitum manuq; contractâ in Mottini oculos intenderent. Alij verò palmam ipſam apertæ manus oſtentabant, ut Logicam illi, hi verò rethoricam Zenonis inſtar, oſtendere crederes. Iam verò cæperant lictores Mottinum non leviter, neque perfunctoriè verberare; Præco verò qui præcedebat carmina, nam Poeta erat haud pænitendus, inter ambulandum fundebat ex tempore ineptiſsima:

Mottinus iſte, quem videtis incolæ
Sacram revinctus, quâ decebat infulâ
Frontem, peruſtus terga flagris aſpera,
Lictoris impotentis ad faſtidium,
Fatetur eſſe Princeps quicquid omnium
Et Helluonum turpiter ſcurrantium,
Et Harpagonum maxime impudentium
Vſquam celebre prædicatur gentium.
Solers aduncis unguibus converrere

Et quod retentum noſtra adusq; tempora
Per ſæculorum tot perennes ambitus
In Hadrianâ jus ſupremum carulâ
Minatur, atq; ſpondet idem tollere,
Suoq; defferre alteri ex arbitrio;
Vnde arrogantis, impyq; ſpiritus
Damnatus, atq; falſi ineptè conditi
Latis per equos judices ſententÿs,
Ovans per hoc inane circumducitur
Hac in Thiarâ, huic inſidens equo probè.
Io Triumphe; Vobis ecce cernite
Illuſtre nomen; atq; avitum Romulæ
Gentis, quod allium, cæpasq; olet; genius.
Io Triumphe, quid moramini amplius?
Dum Pompa ſic procedit, eia tollite
Manus, et hinc; et illinc nunquam parcite
Os impudens laceſſere ictu miſſilis,
Quod cuiq; caſus, provida aut mens obtulit.

His dictis, omnes Cives; Populares Incolæ Accolæ, Advenæ qui aſtabant

Teſtaq; lutoq;,

Et miſſilium omnium jaculatione Pompam celebrabant. Cùm verò ad Piſtrinum perveniſſent; et pro Caballo Mottinus, qui molas deinceps circumducere debe-

ret, ingrederetur, cupiens ego quid ijs in locis molerent, cognoſcere, atque ut videre poſſem, properanter currens repentè offendens, cecidi, ſerioq; timens, ne in ſaxa impingerem totus contremui; ſed ſtratum memet adhuc in lecto, ubi Aretius reliquerat, atque ab Inferis locis, undè regredi neminem ajunt, mirâ pernicitate reverſum reperi.

FINIS.

NOTA.

MOTTINI genius Operis præfuit. Hinc tot errata. Lectoris prudentia ea corrigat, præcipuè verò iſta: Pag. 12. lin. 1. legat ignarique innumerabiles tamen mortales. *pag. 13. lin. 7.* eſt. *pag. 15. lin. 11.* ætate, *eâdem pag. lin. 19.* eundum. *pag. 20. lin. ult.* ubi. *pag. 23. lin. 3.* &. *pag. 29. lin. 23.* jus. *pag. 34. lin. 22. deleat* na- *&c.*

117

Hæc etiam corrige.

In epiſtola dele ea verba, *ideſt eadem menſura, & melius*, quæ ſcribenda ſunt in ora libri.
pag. 3. l. 6. repentè.
pag. 5. lin. 17. illi
— qui rupto robore nati,
Compoſitiq; luto, &c.
l. 22. elyſij.
l. 24. temerèq.
pag. 6. l. 10. malè.
l. 15. cornea.
— *qua veris facilis datur, &c.*
l. 17. potiùs.
pag. 8. l. 26. Phœton.
pag. 9. l. 1. graphicèq.
l. 4. Dicarchidos.
l. 24. incaſſùm
pag. 11. l. 2. hic.
pag. 12. l. 1. tamen, mortales.
l. vlt. Lætus.
pag. 13. l. 7. eſt.
pag. 14. l. 17. quàmq;
pag. 15. l. 11. ętate.
l. 19 eundum.
pag. 16. l. 10. detraxerant.
l 27. quouis.
pag. 18. l. 12. dele (,)
l. 15. faceret.
pag. 20. l. 11. tantùm.
l. 27. vbi.
pag. 21. l. 6. vnquam quicquã.
l. 16. Oliuarenſis.
pag. 22. l. 15. latèq.
l. 22. e memoria.
pag. 23. l. 3. & quamuis
l. 14. obtrectationi.
pag. 24. l. 1. neceſſario.
pag. 25. l. 1. O'virum.
l. 13. benè.
pag. 28. l. 7. reuiuiſcit.
l. 9. temerè.
l. 21. meliùs.
pag. 29. l. 23. & ius.
pag. 30. l. 20. Charybdim.
pag. 31. l. 5. Quodq. occupatione.
l. 28. facilè.
pag. 32. l. 16. maximè.
l. 22. grauioris.
pag. 34. l. 22. dele. *na*
pag. 35. l. 3. perpetuò.
pag. 36. l. 5. ſuo.
l. 19. tuo viro, & felle, &c.
pag. 38. l. 8. Faciliùsq.
l. 24. ęternùmq;
pag. 41. l. 17. delictum.
pag. 48. l. 12. periura. perfidè.
pag. 45. l. 12. illuſtre lumen.

Cætera permittuntur Lectoris iudicio.

2
1106.5
99 960400

1106.5

51

1106.5